



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

§. 7. Hujus libelli utilitas, & exhortatio ad perfectionem

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

entes, quibus altissimum sanctitatis scopum præfixit, ut omnes qui per adoptionem *filii* Dei nominatur & sumus, Patris perfectionem æmulemur. Magna itaque cunctis Christianis sanctitatis necessitas indicta est, ne à paterna hereditate tanquam degeneres excludantur.

§. VII. *Hujus libelli utilitas & exhortatio ad perfectionem.*

**I**Deo contemptis omnibus, quæ bona mortales putant, huic soli curæ incumbendum est, ut per Christi vestigia ad Evangelicæ perfectionis culmen properemus. Ad hoc referuntur quæcumque in hoc libello collecta sunt, ut superatis sensuum præstigiis & veritate comprehensâ, quasi in regionem originis nostræ revertamur, de vitiis triumphaturi, & in perpetuum regnaturi. Filii hujus sæculi persuadere conantur perfectionem rem difficillimam esse, nec posse in hoc mundo inveniri, ut segnis effectus homo quærere non audeat, quod se consequi posse desperet. Sed volenti nihil difficile & quidquid arduum est, gratia Dei facile reddit. Tanta est autem pulchritudo justitiæ, tanta jucunditas æternæ lucis, tantus splendor incommutabilis veritatis, ut si unius tantum diei morâ in ea manere liceret, innumerabiles hujus vitæ anni pleni delitiis & omni affluentia temporalium bonorum merito contemnerentur. Scriptum est enim. *Quia melior est dies una in atris tuis super millia.* Psal. 83. Nemo autem mirari debet, si quæ aliquando in hoc tractatu repetita occurrant; connexa sunt enim virtutum documenta, & hæc est vis veritatis, ut quo propius ad ipsam accedimus, eò frequentius in eandem incurramus. Si quæ verò aspera & difficilia, si quæ graviora & humanæ fragilitatis vires excedentia videantur, meminisse juvabit regnum cælorum vim pati, nec esse condignas passiones hujus temporis, quamvis unus omnes sustineat, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Brevis labor est, merces æterna.